



Regula honestatis moralis seu tractatus theologicus tripartitus de regula moraliter agendi

In Duos Item Libros Dividitur: In priori potissima fundamenta, & principia moderni Probabilismi intrinseca exactè, & accuratè examinata multipliciter evertuntur, & non esse verè principia, ... In posteriori verò eundem cum modernis Decretis Pontificiis multiplici argumento ... ubi multa de ultimi ...

Camargo, Ignacio de

[S.l.], 1702

Articulus III. Benigna Recentiorum Se[n]tentia per damnationem sententiæ benignissima de tenui probabilitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94767)

test non esse superius, & inferius, quod relatè ad superius ejusdem generis nequit non esse exiguum, ac parvum.

35. Itaque nunc directè non disputo, utrum exigua, aut tenuis probabilitas intra genus benignæ probabilitatis, sic exigua, seu tenuis, vel absolutè in se considerata, vel comparata ad aliam diversam alterius generis probabilitatis, scilicet imperfectioris, nec sufficientis ad honestè operandum: id modò unicè contendo, & ostendo, ipsam esse, re verà parvam, ac tenuem intra propriam suam rationem, videlicet in genere benignæ probabilitatis.

36. Nam, quod magnum est absolutè, vel relatè ad alia diversi generis, potest esse parvum, ac modicum in suo proprio genere consideratum. Sic mons, & in se ipso, & comparatum ad animal, aut arbo-rem, magnum quist est; cum tamen modicus sit quandoque, & exiguus, in proprio suo genere montis, juxta illud Psalmistæ. *Et Hermonium à monte modico*: similiter Pigmæus magnus est, si conferatur ad muscam, aut formicam; debilis autem, pusillus, & exiguus intra propriam suam rationem, scilicet in esse hominis. Pariter ergo rectè inter se cohærent, benignam aliquam probabilitatem ad inferiores gradus intra genus illud depressam, esse magnam, ac fortem absolutè, vel collatam ad aliam generis inferioris; & simul esse exiguam, ac tenuem intra propriam suam rationem benignæ probabilitatis.

37. Hinc argumentum, quo Recentior probabat, in ipsis terminis implicare, aliquam opinionem esse certò probabilem juxta principia benignæ sententiæ, & simul esse tenuiter probabilem: nempe quia opinio, certò probabilis fulciri debeat rationibus non tenuibus, sed robustis potiùs, ac fortibus, & quæ vires validas habeant ad resistendum contrariis rationibus: hoc, inquam,

argumentum æquivocatio est; neque enim probat esse impossibilem benignam probabilitatem, quæ tenuis sit intra genus proprium; sed ut summum, quæ talis sit, vel absolutè in se, vel relativè ad aliam probabilitatem alterius generis inferioris, de quo modò non disceptamus.

38. Enimverò, quod certa probabilitas, quam inducit benignus Probabilismus (sic enim nunc accipimus benignam probabilitatem), nec magna sit, nec fortis absolutè, & re ipsa; sed inanis potiùs, ac fallax, abundè demonstratum jam est, & abundantius adhuc demonstrabitur. Nunc autem id non agimus saltem directè, sed ab hoc præscindentes, unicè firmare contendimus, non solum opiniones probabiliter, verum etiam certò probabiles in via Probabilistarum, esse posse tenuiter probabiles, atque aded non tantum illas, ut docebat ipse Recentior, sed etiam istas absolutè damnari, ut ex dictis satis colligitur, & statim distinctius monstrandum est.

Unde à fortiori falsum esse convincitur, quod Recentior alter docebat de dubia tantum probabilitate: ad cujus argumentum potissimum, de ambiguo saltem sensu Decreti Pontificii, nonnihil etiam postea dicemus.

ARTICULUS III.

Benigna Recentiorum sententia per damnationem sententiæ benignissima videtur quoque damnata.

§. I.

Elicitur sensus legitimus prædicti Pontificii Decreti, quo damnatur sententia benignissima de tenui probabilitate.

39. **I**D verò ex dictis proclive sit. Nam, si opiniones aliquæ certò probabiles in sensu benignæ senten-

tentiae possunt esse in ea ratione tenuiter tantum probabiles, procul dubio praxis ipsarum absolute damnata est. Immo non aliud Decreto illo signanter, ac directe damnatur. Ratio est: quia Decretum Pontificium id unice censetur in eo articulo directe, ac signanter damnare, quod Auctores sententiae benignissimae per illam assertionem affirmare intendebant. Quis hoc negare audeat? Quove fundamento negabitur, nisi forte cuilibet liceat Decreta Apostolicae Sedis, quatenus propriae opinioni praedjudicant, pro libitu eludere.

40. Atqui Auctores sententiae benignissimae per assertionem illam unice affirmare intendebant, licere uti qualibet opinione, tenuiter etiam probabiliter intra propriam rationem, & peculiare terminos benignae probabilitatis; hunc enim sensum, & intentionem suam adeo ipsi evidenter expresserunt, ut nemo possit de illa dubitare. Alioqui, precor, quid cavere voluerunt per verba illa, quae notanter addebant, *dummodo a probabilitatis finibus non exeat*? Cujus scilicet probabilitatis? An non benignae, quam ipsi propugnabant cum reliquis Probabilistis ex illo sibi certissimo principio, *Quisquis agit ex opinione sua libertati favente, etiam minus sibi probabiliter, dummodo verè, ac practice probabilis sit* (juxta sensum Probabilismi), *semper honestè, ac prudenter agit*? Sanè non nisi temerè, & absque aliquo fundamento sensus alius extraneus, & absurdior illis Auctoribus imponeretur. Immo, Terrillo iudice (licet non recto, ut alibi adnotavimus) nemo unquam probabile in alio sensu appellat, aut usurpat. Igitur Summus Pontifex id unice directe, ac signanter damnavit, nempe licere uti opinione, tenuiter etiam probabiliter in sensu benignae sententiae, & intra proprios terminos benignae probabilitatis.

41. Confirmatur. Auctores benignissimi ex eisdem principiis generalibus, quibus reliqui utuntur Re-

centiores, assertionem damnatam concludebant, eisdem illam rationibus probabant, eisdem prorsus terminis, distinctionibus, limitationibus, & exceptionibus, constanter, & ubique utebantur, ut cuivis facile videre sit in libris, & scriptis eorum, quibus illa assertio tribuitur; nemo enim ipsorum assererat, licitum esse ad praxim deducere aliquam opinionem, quae non esset conformis rectae rationi, quae non inniteretur fundamento non levi rationis, vel auctoritatis, quae careret motivo magni momenti, contra quam esset aliquid convincens, quae non esset opinio prudens, & prudenter concepta, & alia id genus passim loquebantur, quae Auctores benigni loquuntur: dictamen autem prudens, fundamentum magni momenti, & cetera omnia exponebant juxta communem sensum moderni, atque communis Probabilismi: tum insuper in ipsa sua assertione opinionem, de qua pronuntiant, praxim ejus licitam esse, expressè cavent debere esse probabilem ab intrinseco, vel extrinseco: ac tandem (quod superfluum videri posset) in eadem sua assertione eandem conditionem, ac restrictionem iterum signatissime reperunt, ad dentes verba illa, *modo a probabilitatis finibus non exeat*.

Quo ergo fundamento dici poterit, opinionem illorum eò damnatam esse, quòd assereret, licitum esse uti opinione tenuiter probabiliter in alio extraneo sensu, & exeunte à finibus benignae probabilitatis? Profectò sensus ille nimis gravis, & ultrò confingeretur, ac planè contra mentem praedictorum Auctorum clarissime manifestatam.

42. Confirmatur ulterius, & declaratur discursu illo supra jam insinuato. Vel ea benignissima opinio idèò damnata est, quia assererat, licitum esse praxim cujusvis opinionis, tenuiter etiam probabilis in sensu benignae sententiae: vel quia expressè assererat, licitum esse uti qua-

Sup. II. 1.
controv. 4.
a. 2.

libet opinione tenuiter probabili, etiam in alio sensu laxiori: vel quia, saltem expresse, assertionem non restringebat ad sensum sententiae benignae, unde saltem implicitè censebatur illam extendere ad aliud genus laxioris probabilitatis? Si primum, habemus intentum. Secundum esse evidenter falsum ipsa damnata assertio demonstrat.

43. Tertium (quod Recentioribus benignis unicè dicendum relinquatur) dici non posse, facile probatur: nam si ob eam rationem opinio illa damnata esset, eodem quoque jure, quin & potiori, damnari debuisset benigna ipsorum Recentiorum sententia, quae passim enuntiatur, atque proponitur absque aliqua restrictione, & sub terminis generalibus, prorsusque indefinitis, ut supra arguebamus; quod nanque privilegium speciale suffragatur benignis Probabilistis, ut eorum assertio illimitata, & nulla saepe modificatione restricta, intelligi non debeat illimitatè de opinione probabili, etiam in alio sensu laxiori, sed restringenda sit, & accipienda in terminis benignae sententiae; è contra verò assertio benignissima nullam possit admittere limitationem, cum tamen ipsa nimis clarè, ac distinctè significaret sensum restrictum intra fines, & terminos benignae probabilitatis?

44. Utique, si assertio benigna nullà restrictione donatà ideò non censetur exire à finibus communis, benignaeque probabilitatis, quia aliunde constat de mente Auctorum illam assertionem tenentium, quam scilicet alibi restringunt ad communem doctrinam, & sensum Probabilistarum: eodem jure assertio benignissima intelligi quoque deberet cum restrictione ad eundem sensum: immò potiori titulo, quia hujus assertionis Auctores, non solum alibi mentem suam exponunt juxta communem Probabilissimi sensum, sed insuper in ipsa sua assertione praedictam restrictionem, haud obscure si-

gnificant. Non ergo debuit, nec potuit ex hoc capite assertio benignissima damnari praè benigna assertionem Recentiorum.

45. Assertio igitur benignissima ideò absolute damnata est, non quia exiret à finibus benignae probabilitatis (quod ipsamet signanter cavebat), sed quia praxim cujuslibet opinionis probabilis in sensu benignae sententiae cum extensione omnimoda, & generaliter approbat. Unde assertionis hujus Auctores non ideò benignissimi dicti sunt, quod probabilitatem alterius generis benignioris, atque laxioris denuò conarentur invohere, sed quia summam benignitatem intra fines, & terminos moderni, atque benigni Probabilissimi signanter exprimebant, & indulgebant.

§. II.

Concluditur ex dictis, benignam quoque Recentiorum sententiam per praefatum Decretum Pontificium virtualiter saltem esse damnatam.

46. **C**oncluditur, inquam, ex dictis: nam assertio hic expressa non nisi evidens illatio est ex doctrina proximè tradita, ut ipsi Recentiores non dissitentur. Utique ipsi negare non possunt, neque re ipsa negant, sed disertè potiùs affirmant, nullam esse opinionem certò saltem probabilem in sensu benignae sententiae, idest, non tantum speculative, sed practice, & verè probabilem in quolibet gradu, etiam minimo, quae non sit recta, ac tuta regula agendi generaliter in quacunque materia, & sine ulla prorsus limitatione. Sed neque potest aliter eorum sententia subsistere; nam argumenta omnia, quibus illam suadere intendunt, vel id universaliter, ac sine ulla exceptione probant, vel nihil omninò convincunt.

47. Nam, si opinio aliqua verè, ac certò probabilis in sensu benignae sen-

sententiæ, in qua proinde tota invenitur quidditas, & essentia benignæ probabilitatis, non sit recta regula agendi, neque sufficiens ad honestè operandum, sequitur evidentè, principium illud, *Licet uti opinione minus tuta, & simul aequè, aut minùs operanti probabili, dummodò verè, ac practicè probabilis sit* (quod ipsa est benigna sententia) sic indefinitè prolatum, & nulla coarctatum limitatione absolute, & simpliciter esse, falsum. Unde oportebit, ut Recentiores certum aliquem modum illi præfigant, & ut designent nobis determinatum aliquem gradum, infra quem probabilitas depressa intra terminos proprios benignæ probabilitatis, non sit recta regula agendi, neque sufficiat ad honestè operandum.

48. Quem verò designabunt, aut ex quibus principiis? Profectò nulum poterunt, nisi tota semel soluta mirifici artificii compage, cuncta principia sua evertendo, terminos repugnantes implicando, ac demùm sibi ipsis passim, & millies contradicendo. An non in terminis ipsis implicat, aliquam opinionem esse verè probabilem in via Probabilistarum, & non esse dictamen verè prudens? Nunquid non evidens contradictio est agere quem ex pratico dictamine prudentiæ, & simul malè, & imprudenter agere?

49. Sed enim quid moremur? Vel Recentiores per suam benignam sententiam approbant, tanquam verè probabiles, adeoque, tanquam rectam agendi regulam, aliquas opiniones verè improbables, scandalosas, & perniciosas, proptereaque damnabiles, ac de facto damnatas ab Ecclesia; vel nullas ejusmodi approbant, post damnationem saltem ipsarum? Primum patet dici non posse à viris orthodoxis, ac piis. Si verò secundum dicatur, ut dici sine optione debet: ergo juxta Probabilistas in ipsis terminis debet implicare, aliquam opinionem esse verè probabilem in sensu benignæ sententiæ, &

simul esse verè absolute improbabilem, scandalosam, ac perniciosam, & ut talem damnatam, aut damnabilem. Quid evidentius? Profectò, si quis negat, vel abjurat simpliciter Probabilissimum, vel certè terminos non intelligere videtur.

50. Tum sic. At constat (datà semel hypothesi, ad quam coguntur Probabilistæ) aliquas opiniones verè, ac certò probabiles in sensu benignæ sententiæ, non esse verè absolute probabiles; sed potius verè esse, scandalosas, & animabus in praxi perniciosas, proptereaque de facto ab Ecclesia damnatas, nempe opiniones tenuiter probabiles; quas nimirum, & esse necessariò admittendas intra terminos proprios ipsius sententiæ benignæ, & simul per Decretum Pontificium, quo damnatur articulus de praxi tenuis probabilitatis: directè, atque signanter esse damnatas, satis à nobis ostensum est. Ergo benigna Recentiorum sententia, quæ ejusmodi opiniones approbat, tanquam verè probabiles, adeoque, tanquam rectam agendi regulam, eodem Pontificio Decreto virtualiter saltem damnatur.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Recentiorum argumenta.

§. I.

Ad argumentum secundum Recentioris propositum ad articulum primum.

51. **I**llud verò mirabilem, ac plannè prodigiosam doctrinam continet, nimirum immoderatam novi Probabilissimi benignitatè, quæ legem Dei odiosam, adeoque restringendam, ducit, & dicit, ut in omni dubio morali libertatem agendi quidquid libeat, atque adeò exemptionem ab ipsa lege, hominibus indulgeat, & statuat. Odiosam puta

be.